



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

De argumentis contra formalem Contradictionem.

Resp. Lucâ de Lindâ. Borusso.

THESIS LIII.



N quidam homines ſint leones, quidam *aſini ſint rationales, hinc non ſequitur, nec ex Contradictionis naturâ aut formâ unquam elucies.* V. §. 25. 50. *Univerſali negante removere non legitimè contradicere eſſe patet, quòd ratione materiæ ſaltem procedas, non formæ, ſic enim utramq; oppoſitam falſam faciet, quod Contradictioni adverſum.* Conf. §. 45 - 3. Omnes Apoſtoli ſunt 12. falſum eſt, quia Jacobus & Andreas non ſunt 12. & Non omnes A. ſ. 12. etiam falſum, quia collectìm ſumpti omninò ſunt 12. Et legitima tamen eſt contradicendi forma, nec verum à falſo infallibiliter ſecernit. E. non generalis eſt. R. Tò omnis *in primo Enuntiato* collectivè *ſumitur, ſic veriſſimum, & contradicens falſum eſt.* Si diſtributivè *Vox omnis ſumatur, prior falſa, Cōtradictoria ejus vera eſt. Idem in ſimilibus eſt: Omnes digiti manuum ſunt 10.* collectivè verum, & *contradicens falſum, Non omnes d. m. ſ. 10.* Diſtributivè prius falſum, *Contradicens verum eſt, Non omnes d. m. ſ. 10. Non enim pollex & minimus. Et ſic contradicendi forma veriſſima manet.*

45. *4.* In comparativis enunciandi formis etiam hæc contradicendi forma non procedit, utramq; enim Contradictoriam falſam facit. Ut, nulla virtus magis nos juſtificat, quàm caritas, non Nulla virtus magis nos juſtificat, quàm caritas, h. e. quædam virtus m. n. i. q. c. falſum. Sequitur hinc, aliquam virtutem nos juſtificare, & caritatem nos juſtificare, quod utrumq; de no-

ſtrâ fide falſum eſt. Nullum *opus magis ſalvat, quàm cari*
tas, Non n. o. m. ſ. q. c. falſum utrumq́, & ſequitur hinc, ali
quod opus nos ſalvare, quod Nos non concedimus. Sic, Null
ſcientia humana & acquiſita magis de divinitate Chriſti no
certificat, quàm Magia & Cabala, Non *nulla ſcientia h. & a*
m. d. d. C. n. c. q. M. & C. utrumq; falſum, *& aliquam ſci*
entiam humanam nos de divinitate Chriſti certificare præſup
ponit, quod ſimiliter falſum. Nulla *ſcientia humana magi*
ſpiritualiter nos illuminat, quàm Philoſophia, Non nulla ſ. h. m
ſ. n. illum. q. Ph. Utrumq; falſum, *& quandam ſcientian*
humanam ſpiritualiter nos illuminare facit. Fornicatio ſim
plex *melior eſt adulterio, Non fornicatio ſimplex melior eſ*
adulterio, utrumq́; falſum *promit, & fornicationem ſimpli*
cem bonum quid eſſe conſequenter ponit, quod etiam falſum.
Melius *eſt nubere, quàm uri, Non melius eſt nubere, quàm u*
ri, utrumq́; falſum, *prius n. nubere & uri bonum facit, poſte*
rius utrumq́ bonum negat, cum nubere bonum quid eſſe nega
non debeat. Ariſtoteles melior Chriſtianus Platone fuit, No
Ariſtoteles melior Chriſtianus Platone fuit, utrumq́; falſun
dicit, Nam & Ariſtotelem & Platonem Chriſtianos facit. I
Contradicentes poſteriores in his ſunt veriſſimæ, ſed par
ticula Negandi non, ſuper totam enuntiationem fund
ejusq; veritatem negare debet, *non ſuper vocem Nulla tan*
tùm, ut præcisè particulari affirmanti propoſitio Contradicen
æquipolleat. Ut ſenſus ſit: *Non nulla virtus magis nos ju*
ſtificat, quàm caritas. h. e. falſum eſt illud enuntiatum, Null
virtus magis nos juſtificat, quàm Caritas, Cum fieri poſſi
ut ſimpliciter nulla virtus nos juſtificet, & ſic nec magis cari
tas, quàm cæterarum aliqua, & ex univerſis nulla prorsùs no
juſtificet. Hinc nec caritatem, nec aliquam aliam virtu
tem nos juſtificare conſequitur. Idem in cæteris Exemplis te

nen

nendum. Verum est hoc posterius, *Non sc. verum est, nullum bonum opus magis justificat, quàm caritas,* *Cum* simpliciter nullum *nos justificet, & sic nec caritas magis, quàm aliud, vel aliorum operum ullum nos justificet.* *Sic de eo, quod* Picus Mirandulanus suis de omni scibili Conclusionibus in concl. Magicis 26. num. 9. *inseruit,* Nulla Scientia acquisita magis nos de divinitate Christi certificat, quàm Magia & Cabala, *si contradicas,* Non *sc. verum hoc est,* Nulla sc. ac. m. n. d. d. C. c. q. M. & Cabala, *Veram omninò contradictionem dixeris.* *Falsitatis enim illam* Pici *assertionem postulasti, & sic tanquam falsam rejecisti.* Inde *nihil eorum sequitur, quæ consequi putantur,* vel *aliam aliquam scientiā acquisitā, magis de divinitate Christi nos certificare, quàm Magiā & Cabalā Vel ip. M. & C. id præstare, quod quidē* Picus *intendit in* Apologiâ pro suis conclusionibus T. 1. Op. p. 167. *Ex totali enim rejectione propositionis & hic sensus consequi potest:* Nec Magia aut Cabala, nec ulla alia scientia humana nos de divinitate Christi certificat. *Quæ quia in præcedente* Contradictione *etiam virtualiter latet, veram illam Contradictionem esse omninò consequitur.* Idem in illo: Nulla scientia humana spiritualiter magis nos illuminat, quàm Philosophia. *Non verum hoc, N. s. h. s. m. n. i. q. Ph. Hinc* nec Philosophiam *spiritualiter nos illuminare,* nec ullam *scientiam humanam id facere, sequitur.*

55. *Quòd si præcedentem* Pici *propositionem sensum prorsùs negativum continere dixeris, quasi hoc velis:* Non magis alia scientia acquisita nos de divinitate Christi certos reddit, quàm Magia & Cabala, *ut intelligas,* nec has, nec illam, nec ullam acquisitam id facere posse; *Quomodo diceremus,* Nulla magis scientia nos piscem artificialem, qui vivat & sentiat, facere docet, quàm Arithmetica: Nul-

lus homo magis equus eſſe poteſt, quàm truncus, & hunc ſenſum intenderemus; Ut nec alia ulla ſcientia nos piſcem artificialem facere docebit, qui vivat & ſentiat; ſic nec Arithmetica. Uti truncus equus eſſe non poteſt, ſic nec ullus homo. *Hoc eſt*, Nec Arithmetica, nec ulla alia ſcientia piſcem artificialem facere docebit, qui vivat & ſentiat; Nec homo nec truncus equus eſſe poteſt: Vera quidem hoc ſenſu talia enuntiata futura ſunt, *ſed* vera comparativa non erunt, *verùm* abſolutè negativa: *Nec cogitatio noſtra* naturalis *ſuper talem eorum ſenſum feretur, ſed prorsùs alium, qui quaſdam ſcientias humanas de divinitate Chriſti nos certificare poſſe inde colliget, ſed maximè Magiam & Cabalam id facere: & hominem aliquem equum eſſe poſſe, ſed maximè truncum talem eſſe.* Aliter *naturalis intellectus* enuntiata comparativo ſenſu prolata, *ſi verus is eſſe debeat, capere non poteſt, Et ſi aliter capiat*, ſenſus verè comparativus *non eſt, ſed abſolutè negativus. Neq;* Picus *alio ſenſu ea intellexit, quàm omninò* comparativo. Magiam enim & Cabalam *auditoribus commendandam ſibi ſumpſerat. Commendare autem ab impotentiâ & imbecillitate eas, quòd neutra de divinitate Chriſti nos certos reddere poſſit, admodùm ridiculum fuiſſet.* Non tàm inſulſi cerebri ingenioſiſſimus Picus erat, ut tàm inepta commendandi argumenta meditaretur. *Sed inde commendandi eas rationem ducere voluit, quòd inter acquiſitas nulla reperiretur ſcientia, quæ rectiùs firmiusq; nos de verâ Chriſti divinitate certos redderet, quàm Magia & Cabala naturalis.* Hoc ſenſu *etiam ab aliis accepta eſt theſis* Pici, *impugnata, & á judicibus ejus reprobata. Hoc ſenſu* Contradictionem talem, *quam ei* Picus *attribuit, indeq;* Adverſarios ſuos *ejusdem abſurditatis convincere voluit, cujus ipſum notaverant, non obtinet. Nempe,*

quæ-

quædam ſcientia acquiſita magis nos de divinitate Chriſti certos reddit, quàm Magia & Cabala. *Quaſi omninò cuidam ſcientiæ humanæ acquiſitæ tribuerent, de divinitate Chriſti homines confirmare, quod ipſi ut abſurdum & in fidem Chriſtianam contumelioſum in* Pici theſibus *damnatum voluerant.*

56. Ex negativâ enim, ut ſic, non licet aliam particularem affirmativam educere. *Ut ſi dicas, Non omnes homines ſunt patritij, non licat inferrre, E. quidam, Cum fieri poſſit, ut nulli ſint. Ut ſupra §. 25. ſeq. diſputatum. Sic vera eſt hæc Contradictoria:* Non nulla ſcientia acquiſita Nos magis de divinitate Chriſti confirmat, quàm Magia & Cabala. Sed non inferri patitur: E. quædam acquiſita magis id faciet, cum fieri poſſit, ut prorsùs nulla id faciat, & Soli lumini ſpiritualis revelationis id ſic relinquendum, quod ſentire Chriſtianæ fidei æquum eſt. Sic, *nulla ſubſtantia corporea magis eſt Deus, quàm angelus, non patitur per particularem affirmantem ſibi contradici:* Quædam ſubſtantia corporea magis eſt Deus, quàm angelus, *Utrumq; enim in ſenſu falſiſſimum eſt.* Sic, *Nullus Diabolus magis eſt homo, quàm Lucifer, Quidam Diabolus magis eſt homo, quàm Lucifer, non ſunt vera Contradictoria, & utraq; pars oppoſita falſa eſt. Sed vera condradictoria prioris hæc eſt:* Non nullus Diabolus magis eſt homo, quâm Lucifer, *Ut Tò non ſuper totam propoſitionem feratur,* ejusq; veritatem *neget, ut ſupra oſtenſum. Ideò talia enunciata exponi quidam priùs volunt in omnes Enunciationes implicitas, quas in ſenſu ſuo involuunt, quàm contradictoriè illis opponatur.* Sic hæc, *Nulla ſubſtantia corporea magis eſt Deus, quàm angelus, ſequentia enuntiata in ſenſu ſuo involvit: Aliqua ſubſtantia corporea eſt Deus, angelus aliquis eſt Deus, angelus*

est substantia corporea. Quæ omnia falsissima *sunt, & pro verissimis in enuntiatio isto comparativo accipiuntur & implicantur, ac particulâ comparativâ magis, insinuantur: Cum tanquam absurda & impossibilia* simpliciter removeri debuissent, *non sub comparatione aliquâ de se enuntiari. Quod* enim absolutè esse non potest, intensius esse nequit. Sic, *Null⁹ Spirit⁹ magis est albus, quàm angel⁹, tria hæc in sensu suo implicat: Spirit⁹ aliquis est alb⁹. Ang. est. Spir. Angelus est albus. Medium inter hæc verum est, extrema duo absurda & impossibilia. Itaq; Non contradicendum putant,* nisi resoluto priùs enuntiati sensu jùstè pateat, an omnia adversarius concedat, an quædam. *Ex his concessis aut non concessis Contradictoriam oppositionem efformandum esse, & sic ad finem Logicæ ac contradictoriæ oppositionis perueniri posse.* Cor: Martini d. anal: for: c. 2. Bacch. in vindic. c. l. Danhauverus ide. Disp. s. 3. § 30. alii.

57. Hæc ex illis, quæ §. 36. *sunt adducta, facilem habebunt explicationem. Pro sensu evolvendo in talibus enuntiatis implicitis omninò observari, & pro re natâ adhiberi possunt. Cum tamen* Contradictio formale instrumentum Logicum sit, omnibus enuntiandi formis, etiam quà sub istis formis stant & manent, applicandum, *non demùm, Ut in alias exponentes sunt resolutæ, aut ad sensum & intentionem proferentis examinatæ; etiam his comparativis, ut sub istâ formâ comparatâ stant, contradicendum omninò erit. Quod* generali istâ formâ expediendum venier, quâ cœteris enuntiandi formis absolutè contradicitur, Negando veritatem earum in universum, *particulâ negandi toti enuntiato præmissâ, ut super totum illud ejusq; veritatem negandam ferri debeat. Sic nullus Spiritus magis est albus, quàm angelus, Non nullus sp. m. e. a. q. A, hoc est,* totum illud

illud enuntiatum, Nullus ſp. m. e. a. q. A, falſum & abſurdum eſt, *adeoq; omnes ejus partes hic falſitatis arguuntur, etiamſi quædam abſolutè pro ſe vera ſint, quia tamen falſis conjunctæ eorumq; partes, ſimùl cum illis negantur. Ita Ergò hic negatur, ſpiritum aliquem eſſe album, angelum talem Spiritum eſſe, & hunc maximè eſſe album.* Omnia ſimùl & in totum negantur, quia falſa, falſis juncta & immiſta ſunt. *Et ſic hæc Contradicendi forma* adhuc generaliter *perſtabit, atq; in omni Enuntiandi modo & formâ inveritate immotè procedet.* Conf. t. 39. 40.

58. Similiter in cœteris Comparativis procedendum putant, Ut *priùs in implicitas & exponentes ſuas reſolvantur, quas in ſenſu implicant. Sic, fornicatio ſimplex melior eſt adulterio, has tres ſenſu continere dicũt: Fornicatio eſt peccatum, adulterium eſt peccatum, ſed fornicatio levius eſt peccatum. Hæc omnia ſunt vera, Contradicentia eorum falſa futura ſunt. Ut ſi quis dicat: Fornicatio non eſt peccatum, & adulterium non eſt peccatum, & fornicatio non eſt levius peccatum, quàm adulterium. Hæc in exponentium Contradictione legitimè ſe habent.* Sed comparativis etiam in formâ comparatâ contradicendum erit, & prout ſub uno enuntiato ſtant, *non ut in tria exponentia ſunt reſoluta, ibiq; verum à falſo formali Contradictionis medio ſecernendum. His* aptiſſimè contradices: Non fornicatio ſimplex melior eſt adulterio, ſeu, falſum eſt enuntiatum iſtud, fornicatio ſimplex melior eſt adulterio, *Cum fornicatio prorsùs non ſit bõa, & ideò magis bona altero peccato eſſe non poſſit* Cui enim forma abſoluta non ineſt, minùs comparata inerit. In ſecundo, *Melius eſt nubere, quàm uri, verum enuntiatum habes, cujus contradictorium, non melius eſt nubere, quàm uri, falſum erit, Nec tamen* ex priori *vero ſequitur, etiam uri bonum*

bonum quid esse. Non enim forma Comparata semper ad utrumq; comparationis membrum refunditur, sed quandoq; ad alterum tantùm, Nec bonum cum bono tantùm, sed & cum malo in comparationem venire potest. Sic melius *est esurire, quàm idololythis cum scandalo infirmorum vesci. Esurire bonum est: Sed idololythis vesci non inde bonum concluditur, cum semper malum sit. Nec hic bonum cum bono, sed malo comparatur.* Melius *est obœdire voci Iehovæ, quàm refragari. Non sensus, quasi & refragari bonum sit. Melius est eleemoynas distribuere pauperibus, quàm distributas eripere.* Non sequitur, *distributas eripere pauperibus in censu bonorum collocari.* Ex materiis rerum earumq; habitudinibus talium rerum cognitio in specie dijudicanda erit. Priores omnes erunt veræ, *Contradicentes earum falsæ, Non melius est esurire, quàm idololythis vesci: Non melius obœdire, quàm refragari: Non melius eleemosynas distribuere, quàm eripere.* In reliquis, Non Aristoteles melior Christianus fuit, quàm Plato, *negans hæc Contradictoria verissima est, sed absolutè & tantùm negat, nihil affirmat. Nec inde Aristotelem & Platonem Christanos fuisse collegeris. Qui non meliorem Christianum dicit, tantùm negat, ita ut & absolutè non Christianum esse dicere possis. Sic non albus, non leo, tantùm in infinitum negant, nihil determinati aut affirmati inferunt, Vt nigrum, vel hominem, Vt in terminorum Contradictione* f. 2. §. 7. 8. 25. Tract. d. Contrad: notatum. *Sic melior, non melior, termini contradictorij sunt. Ex hoc non ad affirmatum procedas, bonum esse. Sic, melior Christianus est, Non melior Christianus est.* Ex hoc negativo, ut priori contradicit, non statim affirmatum colligere debes, *E. tamen Chri: est, Cum prorsùs non Chr. esse possit, & sic nec melior altero.*

Con-

Contradictio ex vi Contradictionis tantùm negat, nihil determinat, oppositi vel disparati affirmat, c. 8.17.18.49.50. *E. & hic in contradicendo tantum in negando siste, non vltrà progredere, & verum alterum contradicentium sine dubio etiam in Comparatis enuntiatis*, vt sub formâ comparatâ stant, *sortieris. Maneta* nostra Contradicendi in Enunciatis forma *etiam in comparatiuis enuntiationibus verissima, generalis, & Catholica.*

59. 5. In modalibus hæc contradicendi forma non procedit, Vtramq; enim veram vel falsam facit. Vt, Om. hominem esse doctum est necesse, Non om. hom. esse. doct. est necesse, vtrumq; falsum est. Om. hominem esse doctum possibile est, Non o. ho. es doct. possibile est, vtrumq; verum est. E. non generalis contradicendi forma. R. Enuntiata ista aut sunt modalia enuntiata composita, aut diuisa. Si composita, *hunc habent sensum: Hoc Enunciatum, Om. hominem esse doctum, est necessarium, Cuius contradictio hæc erit: Non hoc enunciatum, om. homi. esse doct. est necessarium.* Hæc *verissima est*, prior *falsa. Contingens enim est, om. hom. esse doctum, non necessarium. Sic hoc enunciatum, Om. hominem esse doctum, est possibile. Non hoc enun. Om. ho. e. do. est possibile, Prius verum, posterius falsum erit.* Si diuisa, *tum verè erunt modalia, & hunc sensum habebunt. Necessum est omnem hominem esse doctum, Vel, Om. homo necessariò est doctus: Quibus contradicitur: Non necessum est om. ho. e. doct. Vel, non omnis homo necessariò est doctus, Vbi posteriora hæc verissima*, priora *falsa sunt. Possibile est omnem hominem esse doctum, vel omnis homo possibiliter est doctus: Quibus contradicitur: Non possibile est omnem hom. esse doctum, Vel, Non om. homo possibiliter est doctus, Vbi priora verissima, posteriora falsa sunt. Et sic legitimè procedit*

dis Contradictnto. Conf. t. 79. 6. Contradicendi forma aliquam inter duas contradicentes mediam introducens non est legitima. Contradictio enim omnis immediata esse debet, Vt f. 1. Tr. 42. d. Contr. statutum. Sed hæc contradicendi forma mediā introducit. Vt, Aut amisisti cornua, aut non amisisti, media est, aut nunquā habuisti. Aut retinuisti 100 imperiales, aut non retinuisti, media est, aut nunquam habuisti. *Omnis homo est leo, non omnis homo est leo,* media est, *nullus homo est leo. Aut sola terra mouetur, aut non sola, medium est, aut nulla.* Soli *homines sunt lapides,* non *soli homines sunt lapides,* medium, *nulli homines sunt lapides. Et sic in infinitis materiis. E. hæc Contradicendi forma est illegitima.* R. 1. De immediatione Contradictionis variant Logicorum sententiæ. Quidam *de apertâ terminorum Contradictione tantùm procedere putant, non Enuntiationum. Vt homo, non homo, simpliciter nullum medium admittit.* Alij *& ad Enuntiationum Contradictionem extendunt, quasi & illa medium non admittant.* Ita Aristoteles 1. poster. C. 2. t. 5. Contradictio, inquit, est contrariorum illa oppositio, in qua nihil, quod verè medium sit, reperiri potest. Similiter Scheibler. d. proposit. c. 11 n. 28. Cū oppositio terminorum contradictoria maxime sit immediata, ita hæc etiam oppositio propositionum immediata & adeò isti simillima est. D. Iac. Martini l. 2. disc. Ram. c. 4. q. 6. Vt in terminorum simplicium contradictione, ait, non admittitur medium, Vt inter hominem & non hominem, Nam quicquid est, aut est homo, aut non homo: Sic etiam in contradictione enuntiationum *nullum datur medium. Vt, in allato exemplo: Omnis homo est doctus, non omnis homo est doctus,* nulla planè propositio est media. *Nam ut inter*

ens & non ens non datur medium: sic inter verum & falsum non datur medium. Esset enim neq; vera neq; falsa, quod implicat contradictionem in adjecto, cum omnis propositio Logica & quidem categorica, aut vera aut falsa sit, & quidem ex necessitate.

60. *Patetq; immediatio hæc Enuntiativa* Contradictionis *ex ipsâ Contradictionis naturâ.* 1. Affirmatio & negatio ejusdē præcisé de eodem & in sensu eodem, nihil admittit medij in enuntiando. *Quidquid enim dixeris, aut affirmare te oportet, aut negare. Tertium nullum hic, aut* prorsus nihil enuntiare, Logiceq; in parte secundâ operari te oportet, *sed ad non liquet recurrere.* Vt Tract. d. Contradict. s. 1. t. 53. dictum. *Tum quidem nihil omninò erit,* sed nec Contradictio erit, *cujus proprium hic inter propositiones esse dicimus nullum medium agnoscere.* Negatio enim vniuersa complectitur, quæ sunt extra affirmationem, Et sic nihil in medio relinquit, si ullâ ratione res cognita sit. *Sed Contradictio est talis ejusdem de eodem affirmatio & negatio. E. nullum medium habet.* 2. Inter verum & falsum enuntiatiuè nullum est medium. *Quidquid enim enuntias, aut verum est, aut falsum. Et vel absolutè vel respectiuè tale erit. Aut enim dicis, quod res est, sic verum dicis, aut quod res non est, sic falsum. Nullum hic medium, sicut inter rem esse & non esse, nullum est. Sed Contradictio enuntiat ut verum & falsum, in eo enim Natura ejus est, ut unum enuntiatum verum dicat, alterum falsum. Ergò medium hic non.* 3. Inter esse & non esse nullum medium. *Sed Contradictio dicit esse vel non esse in enuntiato aliquo, esse nempè verum vel non verum, siue falsum. E. medium admittere non potest.* 4. Si inter Contradicentia enuntiata medium, aut participationis de vtroq;, aut

negatiionis ab vtroq;erit. Sed neutrum esse potest. Si participationis, *esset enuntiatum illud & verum & falsum. Hae enim in vtraq; Contradicente sunt, altera vera vi Contradictionis est, altera falsa. At hoc absurdum est, & à Logico enuntiato alienissimum. Vel enim hoc falsum est, vel verum, non vtrumq; simul.* Si negationis, *erit enuntiatum aliquod Logicum, quod nec verum, nec falsum est. Hoc iterùm natura* enuntiati Logici *adversum, quod alterum eorum dicere oportet, secus enuntiatum Logicum non est, sed sophistica & ambigua elusio, qualis dæmonis per oracula sua Respondentis sæpè fuit, quam nisi ad vnum planumq; sensum redegeris, in enuntiati Logici formam nunquam compones.* 5. Immotum eruendi veri, & à falso secernendi instrumentum verum vel falsum manifestare oportet, non vel vtrumq; simul, vel neutrum inter vtrumq;. *Quomodo enim aliàs verum, & quidem indubitatò, erueret? Sed Contradictio est tale instrumentum, ut in Operatione secundâ nullum aut par illi, aut in illo sine diversum assignari queat. E. verum vel falsum determinatè manifestare oportet, non medium aliquod inter ea admittet.* Plura f. 1. t. 42. 43. d. Contrad. *patent. Opposita, quæ hic ex exemplis quibusdam moueri possunt,* t. 59. 61. *patebunt.*

61. *His ita confirmatis* ad exempla *adducta Respondendum.* Forma Contradicendi inter duas contradicentes mediam introducens, sc. ratione veritatis aut falsitatis, affirmationis aut negationis, non est legitima. *Sic enim Contradictiones enuntiationum legitimæ sunt immediatæ.* Sed ratione modi enuntiandi media aliqua enuntiatio inter duas Contradicentes esse potest. *Hoc modo forma Contradicendi non præcisè immediata esse tenetur. Iam nostra enuntiandi forma priore modo mediam non inducit, nec*

ex-

exempla adducta id probant. Quædam enim non sunt vera Contradicentia enuntiata, *sed membra tantùm unius Enu: contradictoria habent:* Quædam sunt quidem Contradicentia, *sed media enuntiata verè non habent. Illa, Aut amisisti cornua, aut n. a. Aut retinuisti 100. Imperiales, aut non retinuisti, non habe nt veram Contradictionem enuntiatiuam; sed una est propositio disjunctiva, membris Contradictoriè oppositis constans, Amisisti non, amisisti.* Illa autem Contradictio, de quâ jam agimus, duorum enuntiatorum identicè sibi in affirmando & negando oppositorum esse debet, *Vt, Om. homo est doctus, non om. h. e. d. qualis illa disjunctiua non est.* Deinde non habent verum medium inter se, si legitimo sensu τὸ non amittere sumatur. *Sumendum est ita,* ut in infinitum neget, *& ad omnem rem in infinitum extendi queat, præterquam oppositum suum, cujus est negatio.* Iam *illud non amisisti, si ita latè sumatur,* nunquam habuisti *comprehendit, nam & is, qui nunquam habuit aliquid, non amisisse dici potest. Quod enim non habet, quomodo amittere aut amisisse dicetur? E. alterum membrum ei Conveniet, & sic non amisisse dicendus erit. De quouis enim alterum Contradictionis terminorum velut ens & non ens, est enuntiandum. Hoc modo* τὸ nunquam habuisse, *nunquam verum medium inter amisisse & non amisisse erit, sed in non amisisse continebitur. Sic, aut retinuisti 100. Imperiales, aut non retinuisti, Tò non retinuisti latissimè sumendum ut de quouis enuntietur, excepto opposito suo, retinere.* Iam ita sumptum & τὸ nunquam habuisti, sub latitudine sua complectitur, & ita verum medium inter retinere & non retinere non est, nunquam habere, sed in τὸ non retinere continetur. *Et is non retinet aliquid, qui nec habet illud, nec unquam habuit.*

62. Coetera exempla Contradictionis enuntiatiuæ, *vt Om. homo est leo. Non om. h. e. Solæ terra mouetur, non sola t. m. Soli homines sunt lapides, non Soli h. s. l. quæ media habere videntur, nullus homo est leo, nulla terra mouetur, nulli homines sunt lapides,* apparenter medias *saltem habent, non ipsius Contradictionis & rei enuntiatæ quâ veritatem aut falsitatem, affirmationem aut negationem, sed* modi enuntiandi per particulas formati. *Contradictio Enuntiatiua,* (*de hac enim jam agimus,*) *caret medio veritatis aut falsitatis nempe, affirmationis aut negationis inter enuntiata illa, quæ contradictoriè sibi opponit. Inter duo Enuntiata Contradictoria nullum enuntiatum est medium, quod vel affirmet & neget simul, vel nec affirmet nec neget, quod vel verum & falsum simul sit, vel nec verum, nec falsum sit.* Hæc est illa immedia*tio, quâ Contradictio etiam Enuntiationum simpliciter medio carere dicitur,* Vt t. 59. patuit. *Non autem immediatio Contradictionis Enuntiatiuæ præcisè* ad modum enuntiandi *est restringenda, quasi* nullus enuntiandi modus jnueniri queat, qui inter duas contradicentes medius esse possit. *Sic enim media quædam inter Contradictorie oppositas dari possunt, si modum enuntiandi spectes. Sic inter omnis & non omnis est* media aliqua particula quantitatis, ad modum enuntiandi pertinens, nullus, vnde enuntiatio per hoc signum formata modum enuntiandi medium inter has facit, *Om. homo est leo, non om. h. e. l. Nullus homo est leo. Sed in veritate aut falsitate* hæc non *est media, quasi duæ praecedentes nec veræ nec falsæ fuissent, hæc sola talis demùm esset. Sic enim* posterior contradictoria, *non omnis homo est leo, verissima fuit.*

63. *Sic* solus & non solus, *medium admittunt,* nullus, *si modum Enuntiandi spectes. Vnde media enuntiatio inter*

has

has, solus homo est animal, non solus homo est animal, est, Nullus homo est animal. Sed in veritate aut falsitate non est media, *sic enim priorum altera vera, altera necessariò est falsa, & persus hic jmmediatio est.* Falsum, *solus homo est animal*: Verum, *non solus homo e. a.* Falsum, *sola terra mouetur*, Verum, *n. s. t. m.* Falsum, *soli homines sunt lapides*, Verum, *non s. h. s. l. si in negando praecisè sistas.* Falsum, *Om. homo est leo*, Verum, *non omnis est leo, si in neganda sistas.* Nullum *hic ratione veritatis aut falsitatis est medium.* Et hoc vult nostra contradicendi forma, *quae generaliter in omni Enuntiationum formâ & modo jta contradicit, ut vnum Contradictoriorum praecisè verum, alterum falsum eliciat. Iam hoc & in reliquis enuntiatis facit.* Negativae omnes sunt verae. *Non om. homo est leo, non sola terra mouetur, &c. Sed 1.* Tantùm *hic nega, nihil affirma.* 2. Tó non omnis & *non solus absolutè sume, vt non affirmatum aliquid aut cum alijs junctum inde elicias, sed & absolutè negatiuum sub sumi possit, ut nullus homo lapis esse dicatur.* Non solus enim & nullum *complectio potest, ut qui non solus dicatur contradictoriè, & nullus esse possit. Vt, Non solus homo est alatus, & eò extendi potest, ut nullus sit alatus. Non solus canis rugit, eò extendi potest, Vt & nullus rugiat; & sic consequenter. In his legitima Contradictio sistit, & sic alterum falsum in enuntiatu exhibebit, ut ex t.* 26. 27. seq. *amplius patere potest.*

64. 7. In materijs contingentibus haec contradicendi forma non procedit, sed vtramq; Contra dictoriarum falsam vel veram jmportabit. Vt, Omnis homo sedet, quidam homo non sedet, Vtrumq; vel verum, vel falsum esse poterit. Om. animal dormit, Quod. animal non dormit. Om. homo ambulat, Qui. homo non ambulat, Om.

pari-

paries est albus, qui. par. non est alb. & infinitis alijs materijs contingentibus. E. non generalis contradicendi forma. R. 1. jsta enuntiata *absolutè & solitariè vnũquodq; eorum sumendo, vera esse possunt. Ita omnibus sedentibus verum esse potest, om. homo sedet, omnibus dormientibus verum, om. animal dormit, Omnib. non sedentibus verum esse potest, Quid. homo non sedet: Omnibus non dormientibus verum, Quod animal non dormit. Sed hoc* nihil ad nostrum propositum *facit. Non quærimus, an enuntiata aliqua absolutè secundùm se sumpta vera esse possint, vel falsa:* sed an contradictoriè opposita simul vera vel falsa esse possint? Hoc negamus. *Oppone ista enuntiata contradictoriè, Om. homo sedet, & hoc verum esse dic: tum* impossibile est, contradictorium eius verum esse. *Quid. homo non sedet.* Aut si hoc verum est, *impossibile est, alterum verum esse, omnem hominem sedere. Idem in coeteris est.* 2. Talia enuntiata non sunt immediatè & πρώτως contradictoria, sed *hæc: Om. homo sed. Non om. h. s. O. animal do. Non o. a. d. & sic in cæteris.* Formaliter & immediatè hæc sunt contradictoria, *quæ jmpossibile est simul esse vera, aut falsa. Si verum est, omnem hominem sedere, jmpossibile est alterum verum esse, non omnem hominem sedere, aut si hoc verum, impossibile est prius tale esse. Nostra autem forma in hoc modo formanda est, non in priori.* Omnis *&* non omnis *formaliter & aperte sunt Contradictoria, Quod &* Conimbricenses c. 7. d. inter. q. 1, a. 2. Horneius l; 3. inst Log. q. 29. n. 5. 6, 30. & Et q. 30. n. 2. & Scharfius l. 2. Log. C. 9. benè *aduertunt:* Secundó & mediatè *tantum omnis & quidam non, quia in prioris sensu continentur, exq; educi possunt, ac illi æquipollentia sunt. Sic huic,* quidam *homo est albus, jmmediatè contradicit,* Non quidam *homo e. a, Mediatè & secundò, nullus h. e. a. quia sensu priori æquipollet*

æquipollet. Nostra autem contradicendi forma jmmediata & in quauis enuntiandi formâ procedens est, *adeoq; maximè formalis, quæ & voces Categorematicas & syncategorematicas in enuntiato seruare debet.* Aliud est syncategorema, *Omnis & quidam:* Formaliter illud ita negatur; Omnis, non omnis .V. t. 64. Alij ad hæc & similia *exempla respondent,* Vtrumq; Enuntiatū, *Om. homo sed. & quid. homo non sedet, verum esse, sed non copulatiuè, verùm disiunctivè: Non dicendum esse, om. homo sedet, & quidam non sedet, sed, Om. ho. sed. Aut quidam non sedet. Hoc extra respectum oppositionis esse verissimum.* Danhauver. jd. disput. s. 2. t. 23. *Hoc modo* vera propositio disiunctiva futura est, nullā oppositionem enuntiatiuam habens, *& sic extra nostrum scopum adducitur,* Qui de contradictione *eiusq; formâ agit an nostra Contradicendi forma duas contradictorias vel falsas simul, vel veras efficiat. Hæ,* dum Contradictoriæ non sunt, *nec contra nostram Contradicendi formam quidquam efficere possunt.*

65. 8. Sunt & plures aliæ materiæ, in quibus hæc contradicendi forma non procedit, sed vtraq; contradicens vel vera, vel falsa futura est. Vt, Om. elementa sunt calidissima. Quœd. elementa non sunt calidissima, *vtrumq; falsum.* Om. homo irrationalis est animal, quid. homo irrationalis non est animal, vtrumq; falsum, quia ex jmpossibili ortum. Om. homo est Adamus, quid ho. n. e. Adamus, ante laspum *vtrumq; verum fuit prius Adamo solo existente, posterius Evâ accedente.* Quilibet homo quemlibet suum equū videt, aliquis homo non videt quēl. su. eq. vtrumq; verum. Om. coloratum aliquo colore est coloratum, Quoddam coloratum, vt nigrum, non est aliquō colore, vt rubro, coloratum, *Verumq; vrum.* Nullum

animal est omnis homo, *Qu, an. e* Om. homo, *O.* homo est omnis homo, Quid. Homo non est omnis homo, *similiter vera, Et tamen contradictoria. Ergò.* R. 1. In omnibus his exemplis non est contradictio prima & jmmediata, *de cujus formâ nos disceptamus, quam inter omnis & non omnis esse dicimus, non jnter omnis & quidam non;* V. t. 62. Et sic vniversa exempla *reijcere possumus, tanquam nostræ sententiæ non èdirecto contrauenientia. Si jmmediatâ contradicendi formâ hic Contradicatur. Om. elementa sunt calidissima, & Non omnia elementa sunt calid. Om. homo est dives, & non o. h. e. d.* Alterum omninò euadet verum, *alterum falsum.*

66. 2. Sed & jstam mediatam Contradictionem tamen vindicemus, *& quid singulis exemplis vel subsit, vel desit, discutiamus.* In primo negant quidam, *Contradictionem jn plurali numero instituendam, Quia facilè hic intercurrat æquiuocatio, & ἄλλο καὶ ἄλλο.* Scheibler. C. d. prop. 11. n. 34. Danhauuer. ide. disp. s. 2. n. 23. Conimbricens. in c. 7. d. jnterpr. q. i. a. 2. ad tertium. Sic dicendum esset, *Quod: elementum non est calidissimum, quod verissimum, Et oppositum ejus; Om. elem: est calidissimum, falsissimum. Sed & admisso plurali numero respponderi potest, particularem, Quædam elementa non sunt calidissima, omninò veram esse, & τὸ quædam non de igne præcisè sumendum esse, sed aqua, terrâ, aere. Non enim* definite *dicitur hoc aut illud elementum non esse caldiss. Sed interminatè, aliqua non esse. Vbi ad veritatem hujus contradictoriæ, si inter elementa quædam non sint calidissima, & signis præcise is non sit, satis est.* In secũdo *exemplo, Om homo est dives, rus non dives,* vel vera & formalis contradictio non est, *cum non idem subiectum retineatur, jn priori homo universaliter enuntiatus est, in posteriore unum singulare suppositum pro subiecto ponitur, Cum homo non universaliter poni deberet.*

Non

Non omnis homo est dives: *At universalis non Contradicit præcise singulari, sed non universali, quod latius patet singulari, cum & particulare complectatur, quod non est singulare. Vnde has oppositas* quidam Logicorum *Contrarias de lege vocant, quæ utramq; falsam habere possint, non autem Contradictorias,* Vt Scheiblerus & Danhauuer c. l. *Et rectè* Iesuita aliquis, Gerhardus, *Contradictorias esse negat, Om. homines sunt obnoxij peccato, Et Virgo Maria non est obn. peccato, Cum subiecta mutentur,* ap. Chamierum l. 5. d. pecat. c. 8. t. 12. *Cum formaliter, Non om. ho. su. ob. pe. contradici debeat. Vnde* Chamier *ad rei ipsius Naturam diligentius perquirendam postea delabitur, quod negative etiam Scriptura dicat, Neminem, excepto Christo, justum & sine peccato esse,* t. 14. 15. seq. *Et id rectius;* Vel, si pro contradicentibus omninó habenda sint talia enunciata, *Vniversalem affirmantem falsissimam esse dicendum est, Omnis homo est dives: Non enim Omnis homo est dives.* In tertio, *Om. homo irrationalis est animal, Quid. homo irr. non est animal,* vel prior est falsa, *& ex subiecto impossibili procedit, homo enim irrationalis est non homo, perinde ac si dicas, Om. ens nihilum est substantia. Ens enim & nihilum simul in aeternum non subsistent: Posterior vera, Quid. homo irrationalis non est animal, sed tantùm negat, nihil affirmantis inferi, ut in Contradictione tantum in negando sistendum esse supra dictum fuit:* Vel, si prior pro verâ habenda est, *immediata eius Contradictoria, non omnis homo irrat. est animal, Omninò est falsa. Si enim esset quidam homo irrationalis, omninò esset animal.*

67. In quarto, Om. homo est Adamus, quid. homo non est Adamus, *non servatur* eadem ampliatio termini homo. Prior *enim de omni homine existente accipitur, sic vera est, de homine absolute sumpto falsa est: si sensus sit, Om.*

homo, quicunq; existere potuit, est Adamus, tùm vera est posterior, *Qui. homo, scil. quicunq; absolute & ullo modo existere potest, non est Adamus.* Deinde *non sumuntur hæc Enuntiata respectu ejusdem status in homine.* Prius *ratione status solitudinis verum erat, ubi homo solus erat, Tùm procecebat: O. homo est Adamus:* Posterius *ratione status societatis, ubi in societate cum alio vivebat homo. Quidam homo, adjunctâ scilicet in societatem homini Evâ, non est Adamus. At enuntata de diversis rerum statibus loquentia vera contradictionis non sunt capacia, quæ* ὁμαύλως *fieri debet.* Jn quinto, *Quilibet homo quemlibet suum equum videt, & aliquis homo non videt quemlib. suum equum, posteriorē habet verissimam, sed totum Prædicatū prioris repetere debet, jn quo etiam vox quēlibet continebatur, quâ retentâ sensus futurus est:* Aliquis homo non videt quemlibet suum equum, *quo sensu enunctiatum sine dubio verissimum est.* In 6. *Om. coloratum aliquo colore est coloratum, & Quod: coloratum non est aliquo colore coloratum, non retinet eandem* suppositionem terminorum *in vocib.* aliquo colore. *In priore enim illæ* distributive & *generaliter pro hoc vel alio colore, viridi, In posteriore disjunctè pro certo col. accipiuntur. At ubi significata terminorum mutantur, termini mutantur, & expirat Contradictio.* Si eodē cū priore sensu *sumantur. Ut sensus sit, Quod; coloratum non est aliquo colore (scil. jndefinitè eum sumendo, qualiscunq; etiam sit,) coloratum, haut dubiè posterior falsa futura est.* In 7. posterior falsa est, *Quod. animal est omnis homo, Non enim pro animali in communi, sed pro aliquo in particulari animal sumitur. Sic falsum quo. animal esse omnem hominem.* Vel terminus animalis *non retinet in utroq; unam singificationem.* In priore, *Null. animal est omnis homo, pro animali bruto sumitur,*

In

In posteriore *autem pro rationali: Sic non affirmatur & negatur idem de eodem, sed diverso, atq; expirat Contradictio.* In 8. In priore, *Om. homo est omnis homo,* τὸ *omnis suppositionem simplicem habet, & pars subiecti est, ideo in contradictoria negativa in subiecto repeti debet, Quidam omnis homo non est om. homo, quæ sine dubio falsissima est.* Vel prior non est propositio Logica, *sed crude* jdentica, *quæ alogos & abominabilis in Logicis est, cum nihil à subiecto diversum intellectui explicet, & sic affectionum* propositionibus Logicis *competentium capax non est, jnter quas & Contradictio est. Oppositio enim* in materia Logicâ est, non aloga. *Et sic Contradictiones in talibus enuntiatis figi non debent. Quomòdo & de* enuntiatis seipsa falsificantibus quidam *respondent,* Vt t. 69. *videbitur.*

68. 9. In propositionibus de futuris Contingentibus vtraq; Contradictoria vel vera, vel falsa esse potest, Quia res ipsa contingens est. *Vt cras pluet, cras non pluet, Petrus erit Doctor, Petr. non erit Doctor. Perendiè erit sudum, perendiè non erit sudum. Hic de futuris contingentibus non est determinata veritas,* & vtraq; contradictoria vel falsa, vel vera esse poterit. *Et sic contradicendi forma non est generalis.* R. Variè hic *responderi solet.* Aristoteles d. jnterpr. c. 6. *jnter propositiones de futuro contingenti vniuersales & singulares distinguit.* Illas *esse determinatè veras vel falsas. Vt Om. homo curret, Nullus homo curret.* Has jndeterminatè *tales esse, & sub disiunctione, Vt, Petrus curret, Pet: n. c. Indeterminatè aliquid horum verum futurum est, sed non præcisè hoc vel illud, sed indeterminatè, relinquendo Vtramq; partem.* Alij negant, hanc Aristotelis mentem fuisse, *& per indeterminatum vel non necessariò verum, vel respectu nostræ cognitionis, qui determinationem jn futuris contingenti-*

bus

bus non agnoſcere queamus, vel *reſpectu ad cauſam agentem, vnde effectus contingens eſt, non autem ad rem ipſam, quæ determinatam ſuam veritatem aut falſitatem habere poſſit, intellexiſſe putant.* Alij aliter, *de quo fuſe* Conimbricenſes *in* c. 8. d. inter. q. 1. a. 2. 3. Colonienſes d. interpr. f. 114. ſeq Arriagam d. 14. Log. ſ. 5. 9. Smiglecium d. 12. Log. q. 10. Mendozam d. 9. d. anim. ſ. 6. âliosq; *videas.* Regius *futura contingentia excipit*, l. 2. Log. q. 5. p. 57. Alibi *hæc res pluribus diſceptanda veniet.* Hic omiſſis alijs *ad objectionem ipſam dicendum,* Propoſitiones de futuris contingentibus abſolutè & ſecundùm ſe ſumptas veras & falſas eſſe poſſe. *Vt, cras ſudum erit, hoc Verum, ſi contigerit, quod enuntiatur, falſum, ſi non contigerit.* Vt tamen hæ propoſitiones in ſtatu oppoſitionis contradictoriæ ſumuntur, & coniunctim vna alteri opponitur, impoſſibile eſt vtramq; vel veram, vel falſam futuram, ſed alterâ exiſtente verâ, alteram falſam eſſe oportebit, & vice verſa. *Intelliguntur enim* de actu exiſtentiæ, *quam futuram dicunt. Impoſſibile autem eſt, actum illum futurum & non futurum ſimul: Sed ſi erit, jmpoſſibile eſt, vt non ſit: ſi non erit, jmpoſſibile eſt eſſe. Non enim aliquid exiſtere, & ſimul non exiſtere poteſt.* Hoc ergò ſenſu *talia enuntiata ſumenda:* Cras pluet, h. e. cras actu exiſtentiæ hoc erit, ut pluat. *Si hoc futurum eſt cras, jmpoſſibile eſt ejus contradictorium verum eſſe: Non cras actu hoc exiſtet, vt pluat:* Aut ſi hoc *futurum eſt, ejmpoſſibile eſt, prius exiturum. Sic immotè verum â falſo etiam in his ſecernitur, & forma noſtra Contradicendi, modo legitimè ſenſus euoluatur, jdemq; reſeruetur, generaliter procedit. Nec hinc res contingens neceſſaria euadet, Niſi neceſſitatem ſaltem conſequentiæ intelligas. Poſito enim, quod ita futurum eſt, neceſſe eſt id eſſe, Sic omne, quod eſt, eo jpſo, quo eſt, neceſſum eſt eſſe,*

69. 10. In propositionibus seipsas falsificantibus etiam contradictoria simul vera vel falsa esse poterunt. Vt si mutus dicat, ego sum mutus, verum id erit, quia mutus est. Si dicat, non sum mutus, & hoc verum erit, quia loquitur. Sic duo contradicentia simul vera erunt. Sic David dicit, omnem hominem esse mendacem, & ipse est homo, & sic mendax, adeoq; non verum dicit. *Sic & verum & non verum dicit, quæ sunt contradicentia. Plura* f. 1. de Contradictone, t. 93. *sunt adducta.* Sic si dicas, Ego iuro, me nunquam jurare, verum, *quia juras id:* Falsum, *quia eoipso, quo id dicis, juras. Sic verum & non verum aliquid simul, & contradictoria simul consistent.* Et nostra contradicendi forma non jmmoté verum à falso secernit. R. Varia hic responsio. Quidam respondent, *oppositionem enuntiatiuam procedere in materiâ* & enuntiatione Logicâ, *falsificantes esse non Logicas, alogas, nec fini Logices conuenire.* Danhauerus ide. dip. s. 2. t. 23. & 3. t. 35. Stengelius l. 2. d. syllog s. t. 15. Alij *prorsus non solui posse talia censuerunt, ideoq;* insolubilia à *Veteribus dicta esse.* Alij *& vera & falsa simul esse, sed diversa ratione putârunt.* Alij omnem insolubilem falsam *consecutiuè esse senserunt.* Vt Eckius de jnsolubili. Alij aliter. Breuibus *hic Resp.* horum enuntiatorum sensũ bené euoluendum, & sic non verum & falsum simul habebunt, *sicq; non committetur vera contradictio.* Nam si mutus dicat, *Ego sum mutus, non verum hoc erit, sed falsum. Si enim mutus est, quomodo de se dicere potest, quod sit mutus.* Conditio hæc jmpossibilis est, mutum de se dicere, se esse mutum. *Sic David hominem mendacem dicit, h. e. ad mentiendum procliuem, non semper facto mentientem. Et sic nec contradictio hic, nec verum & falsum simul est.* V. c. l. Sic qui jurat, *se nunquam jurare,* vel τὸ

jurare

jurare ampliandum ad futurum, ut nunquam amplius iuraturus sit, sic sine Contradictione est: Vel *si de præsenti accipiatur, impossibilis falsaq; propositio est, juro, me nunquam jurare, cum eo ipso juret, cum se non jurare dicit. Hæc sese mutuò evertunt, & vera esse non possunt.* Sed *Contradictoria eius propositio vera est: Non me nunquam jurare juro.*

70. Deinde in his exemplis omnibus *non est aperta ac formalis enuntiationum duarum Contradictio,* de quâ contradicendi formâ jam agimus, *adeoq; exempla* non directè nostræ sententiæ sunt opposita. *Sed in his* vel *una enunciatio est, sensum proprium destruens:* Vel *consequentia aliqua educta, destruens ea, quæ ante erant posita.* Inde *si ad veram enuntiativam contradictionem redigenda sint, sic dicendum:* Mutus dicit, ego sum mutus. Non mutus dicit, Ego sum mutus. *Hoc* posterius verissimum est, *quia mutus, quà talis, nihil dicere potest, & consequenter nec hoc dicet, se esse mutum.* David dicit, *om. hominem esse mendacem, David non dicit, om. h, e. m. ubi prius verum, posterius falsum est.* Petrus jurat, *se nunquam jurare ,Pet. non jurat, se n. j.* Prius *falsum,* posterius *verum est. Sic in istis,* Optarim *anathema esse pro fratribus meis,* Rom. 9. v. 1. Adam *quasi unus ex nobis factus est,* Gen. 3. v. 22. *Hæc enuntiatio est falsa, si dicis te mentiri, verumq; dicis, mentiris, & verum dicis, & proximum tuũ dictum erit verum, & pr. t. d. fuit falsũ, Ut insolubilium & evertentium sese ratio ostendatur,* consequentiâ opus habent, *quâ educantur, secus contradictionem in se non habent.* Et per consequentiam demum evertens sese ratio & contradictio ex illis eruitur. *Sic optarim anathema esse pro fratribus meis,* vel falsum, *Sic falsum dixit Paulus, & jurat tamen eodem loco, se verum dicere, non mentiri: Vel verum est, Et sic electus poterit reprobari.*



